



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput XVII. De Monastica vita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

Quantæ autem virtutis quisque fuerit, melius patet occasione advertitatis.

Occasiones namque hominem fragilem non faciunt; sed qualis sit, ostendunt.

## CAPUT XVII.

### *De Monastica vita.*

I. Oportet, quod discas teipsum in multis frangere, si vis pacem & concordiam cum aliis tenere.

Non est parvum in monasteriis, vel in congregatione habitare, & inibi sine querela conversari, & usque ad mortem fidelis perseverare.

Beatus, qui ibidem bene vixerit, & feliciter consummaverit.

Si vis debite stare & proficere, teneas te tanquam exulem, & peregrinum super terram.

Oportet te stultum fieri propter Christum, si vis religiosam ducere vitam.

2. Habitus & tonsura modicum confert: sed mutatio morum, & in-

tegra mortificatio passionum verum faciunt religiosum.

Qui aliud quærit, quam pure Deum, & animæ suæ salutem, non inueniet, nisi tribulationem, & dolorem.

Non potest etiam diu stare pacificus, qui non nititur esse minimus, & omnibus subiectus.

3. Ad seruiendum venisti, non ad regendum: ad patiendum & laborandum scias te vocatum, non ad otia dum vel fabulandum.

Hic ergo probantur homines, sicut aurum in fornace.

Hic nemo potest stare, nisi ex toto corde se voluerit propter Deum humiliare.

## CAPUT XVIII.

### *De exemplis Sanctorum Patrum.*

I. Intuere Sanctorum Patrum viva exempla, in quibus vera perfectio refulsit & religio, & videbis quam modicum sit, & pane nihil, quod nos agimus.

Heu!